



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses
Viator**

Millieu, Antoine

Lugduni, 1636

Libri I. Argumentum, & Synopsis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)



ANTONII MILLIEI
LVGDVNENSIS, E'
SOCIETATE IESV,
MOYSES VIATOR.

Libri I. Argumentum, & Synopsis.



Evs, foederis sui memor, durissimam populi sui ab Ægyptiis oppressi seruitutem miseratur: egregia virtute præmunitum, & cœlesti viso ad ardentem in monte rubum inaugurate, mirificaque authoratum virga Moysem in Ægyptum mittit Oratorem libertatis, aut vindicem. Exhibitetur hoc libro miserrima Israëlitarum seruitus, & in Moysis legatione spes libertatis, Exodi 1. 2. 3. & 4. capitibus, sequenti Synopseos ordine, & marginalibus paginarum numeris.

1 Propositio, & argumentum totius Operis, cum allegoriæ scopo, ex 1. ad Corint. 10. 11. *Omnia in figura contingebant illis.*

2 Limbus Patrum, qui sinus Abrahæ, Luc. 16. cuius ante vestibulum Purgatorius ignis, & Cherubim cum gladio versatili flammeo, Genes. 3. 14. vt interpretatur S. Ambros.

3 Abrahæ ex Elysio pro suorum liberatione supplex oratio. Eorum miserandam seruitutem cognorat viso

A fibi

2 Libri I. Argumentum,

sibi oblato in somnis, Genef. 15. 9. Act. 7. 6. ante annos
400. quod interpretatur de nepotum seruitute in for-
nacibus Ægyptiis.

4 Eadem vota & preces Patrum ad aram, quæ in
Elycio fngitur ad litanda precum sacra, qualis in cœlo
Apocal. 8. 3. & cap. 5. 8.

5 Infantum marium animæ, qui ex edicto Pharaonis
Amenophis Nilo mersi, sub ara Elysia idem orant, quod
illæ SS. Martyrum in cœlo sub altari, Apocal. 6. 9.

6 Obstetricum animæ, quæ pepercerant infantibus
Hebreis illuso Rege, beatæ in Elycio ædificatis à Deo do-
mibus, Exod. 1. 15.

7 Deus è folio Majestatis, cui circunfusi beatorum
Angelorum ordines, vota precantium accipit. Beatitudo
Angelorum è visione clara Dei, Dan. 7. 10. Apocal. 5. 11.

8 Dei consilium de liberandis tandem Israëlitis diu
satis exercitis in Ægypto, probatisque.

9 Angelorum alacritas, vt scintillarum in arundineto
micantium ad Dei nutus, & sumendas de impiis poenas
Sanctos opprimentibus. Sap. 3. 7. Psal. 149. 7. Apoc. 7.

10 Dei cunctabunda semper in poenas iustitia mini-
strorum celeres impetus moderatur, obliata priùs Ægy-
ptiis per Moysen pace, quem Legatum ad Pharaonem
destinat, collaudata viri virtute & fide.

11 Archangelus Michaël, vt verisimile, ad Moysen in
Horebi verticem mittitur, qui nomen, personamque Dei
gerens, flammente rubo Vatem informet, atque inaugu-
ret ad legationem,

12 Verisimilius est, ante incarnatum Dei Verbum per
interpretes Angelos semper loquutum Patribus Deum,
ad Heb. 1. cum Virgine Matre & Ecclesia Sponsa primùm
egisse per se ipsum in persona mediatoris Christi. Non
Synagogæ, sed Ecclesiæ prærogatiua fuit osculum oris,
Cant. 1.

13 Deus in rubo ardente apparet corporandi Verbi
typum exhibit, Exod. 3. 2.

14 Mosis trepidatio, & fiducia, viso prodigio rubi.

15 Vocatus

15 Vocatus à Deo , & de religione loci monitus , nudat pedes.

16 Legatus ad Pharaonem ex Numinis præsentia feli- cem legationis exitum iubetur sperare.

17 Excusat , & causatur Vates se minimè idoneum tanto muneri.

18 Timorem Deus eripit , & ineffabili Nomine indi- cato, fidei Ægyptiis , & Hebræis faciendæ tesseram tradit.

19 Mutatur in serpentem virga mirabilium effectrix: manus in sinum coniecta lepra inficitur, & purgatur.

20 Omnipotentia Dei in miraculis , & naturæ statu cursu eadem facillimè peragit omnia ; sed natura est in ordinario rerum, & causarum cursu, & lege.

21 Tergiuersatus Moses obtendit infantiam ; rogat- que , vt mittatur ille potius Messias , aliquando tandem mittendus, & tandiu iam expetitus mundo.

22 Confirmatur promisso fraternæ facundiæ subsidio. Aaronem legationis socium , & disertum interpretem paulò post obuiam Mosi venturum spondet Deus.

23 Obsequitur tandem Moses , & meditabundus in via expendit propheticè rubi ardantis mysterium.

24 Fingitur Sephora cum duobus pusionibus filiis occurrere viro è paſcuis redeunti, & improuiso suæ solitudinis nuncio perculta linqui animo.

25 Iethro Raguel Sacerdos , & Madianitarum Princeps, Mosis ficer, cognito Dei iussu commeatum dat genero, fausta precatus omnia ; Sephoræ excusat lacrymas, eamque cum liberis volens dimittit viæ comitem viro, aut sarcinam. Exod. 4. 18. Mosis longa & cœlebs Philosophia ante Sephoræ nuptias , quam probabilius est non duxisse ante annum ætatis 75 . aut 76 . cùm infantuli adhuc sint duo filij ex ea suscepiti, Gersa & Eliezer, in ipso discesu Mosis anno ætatis 80. & ambo cum matre Sephora asello impositi, & Eliezer nōdum circuncisione lustratus.

26 Sephora viri amore , & pietate in patrem anceps virum sequitur , vt posteà Penelope in simili charitatum conflictu Vlyssem sequuta est.

4 Libri I. Argumentum.

27 Moses in Ægyptum reuertens itineris molestias
subleuat cōmemorandis Abrahæ migrationibus, Gen. 11.
& 12, eiusdem, Ismaēlis, & vernarum circuncisione, Gen.
19. 23. & ad Mambræam quercum hospitiis, Gen. 18.

28 Sephora, quæ molliore in prolem affectu differebat
crudum circuncisionis ministeriū Eliezeri, exhorrescit ad
illius foederis mentionē. Probabilius est, Moysēm, ne vxori
displiceret, iusticum illum ritum infantulo distulisse.

29 Inde irato Deo, immissus Angelus, qui in diuersorio
patri mortem interminetur, atque adeò inferat, nisi
Sephora ipsa properata filij circuncisione, petrini cultri
acie perniciem à marito auertat. Cruentatis filij san-
guine manibus complexa viri pedes testatur sibi sanguine
illo coēmptum, redempta eo pretio periclitantis viri
vita, Exod. 4. 24.

30 Remittitur ad patrem Sephora cum liberis: Moses
expeditus illo fasce, festinat in Ægyptum.

31 Aaron in solitudine fratri occurrit: mutuò salu-
tant, & Ramessem rectā petunt.

32 Spei cœlestis effictio, quæ diuinitus obiecta, mysti-
cōque cultu, & comitatu adiuentium virtutum adiuta,
contrāque pugnantium vitiorum, & monstrorum insi-
diante inuidia, Mosem & Aaronem nebula occultatos &
protectos in Ægyptum comitatur, ut Hebræos in erga-
stulis pædore obsitos erigat fiducia diuini auxiliij & pro-
missæ libertatis.

33 Miseranda facies Ægyptiæ seruitutis Mosé mouet.

34 Ergastula Israélitarum, & opera indignissima sub
custodia, & exactorum crudelissimis verberibus.

35 Fornacum, & lateritij luti præcipiuus labor ad
Ramessem, & Phitonā vrbes ædificandas, aut muniendas.

36 Sæuitia exactoru qualis in damnatos ad triremes.

37 Commiseratio Mosis ad calamitatis spectaculum.

38 Mosis iras & zelum spes moderatur, ne erumpant.

39 Vates solatur miseros spe proximæ libertatis.

40 Populi Principes segregat, vt in secreto loco do-
ceat, quorūsum, & cuius missu aduenerit.

LIBER